



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Oratio I. Oratio de amore & laude B. virginis Mariæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

tam lætanter ex hoc mundo transit, quàm verus obediens, mitis, & humilis corde: renuntians perfectè omni propriæ voluntati, subditus Deo & hominibus propter Deum ex virtute sine mora. Magna virtus, magna gratia, vincere seipsum, & mori omni hora. Dura pugna, sed gloriosa & æterna præmia reddentur pro victoria consummata.

ORATIONES

AD MODUM

PIÆ.

ORATIO I.

Oratio de amore & laude B. virginis Mariæ.

DEprecor te, benignissima Dei genitrix virgo Maria, ut pietatem tuam & dulcissimam charitatem, qua semper existis plena, mihi seruo tuo pauperi & infirmo aperire nunc & in perpetuum digneris; atque instillare intimis cordis mei serenijs dulcedinem tuam, quam geris in pectore tuo, & habes absconditam in vberibus tuis sanctissimis, quatenus te matrem super omnes benedictam, & unicum filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, puro & integro corde amare, & deuotissimè laudare valeam; & ita mihi ex hoc bene fiat super terram, omnibus diebus vitæ meæ, in amore & spiritus seruore, tibi & filio tuo seruando.

2. O aurea rosa, tota suavis & formosa, virgo MARIA, perueniant queso ad te preces meæ instanter effusæ, quibus pulso ante ostium tabernaculi tui, quod est in domo Domini in hac presenti hora, confidens de tua affluentis misericordia in quacunque fuero tribulatione & angustia. Nam tu mater es misericordiæ, & per te suscipitur peccator in maximam spem veniæ. Sed & maior est bonitas & pietas tua, quàm rumor, quem audiui in terra meâ. Quia vincis omnem laudem & gloriam Sanctorum, & præcedis propterea (virgo beata & Domina veneranda) in virtute dulcedinis & mansuetudinis, Angelicam etiã creaturam. At nisi sic esset, unde miseris & reis tanta infundi consolationis dulcedo, tantaque alacritate veniæ posset ingeri? Nam tu exhauriri non poteris, quia in te requieuit nouem mensibus, infinita bonitatis

tatis fons Iesus Christus. Tu es ornamentum cæli cælorum. Tu gaudium & iubilatio omnium Sanctorum. Tu es reclinatorium aureum Sancti Sanctorum. Tu tripudium & expectatio patrum antiquorum. Per te matrem benedictam virginem singulariter præelectam, datur omnibus, & promittitur cunctis divinam misericordiam exorantibus, indulgentia peccatorum, & fors inter filios Dei, & beatitudo sine fine mansura in regno utique cælorum.

3. O clarissima stella renitens in cælo, cæli regina. O Domina mundi, nulla potest comparari tuæ virgineæ pulchritudini, qualiscunque virgo ornata virtute cælesti. Quia tu es, post vnicum filium tuum Iesum Christum, prima inter omnes sanctos & sanctas nobilissimaque creatura: quam Deus pater præsciuit ante secula, & creavit in plenitudine temporis, ut esses vnigeniti filij eius mater intacta. Quem quidem peperisti cum ineffabili gaudio, & stupendo æternoque miraculo, in salutem omnium credentium. Te igitur, ô beatissima, omniumque virginum regina pulcherrima, totius iam orbis mediatrix effecta: Te, ô perpetua virgo Maria, cum iucundissimo cordis iubilo, affectuque purissimo, laudet & glorificet summeque veneretur, & intimè diligat omne genus humanum. Et omnis creatura cæli & terræ, quam condidit Deus in laudem & gloriam sui altissimi nominis, tibi personet gratiarum dulcifonas melodias. Amen.

ORATIO II.

Oratio ad B. V. Mariam, ut subueniat in hora mortis.

1. O Amantissima Dei genitrix virgo semper MARIA, quæ superabundas dulcedine mirabili, quàm capere & enarrare non valet mens humana. Ecce adsum ego seruus tuus, cum intima affectione cordis mei, humiliter me inclinans ante gloriosissimam sedem tuam, super omnes choros Angelorum in cælesti regno exaltatam. Quam idcirco meruisti dignissima mater Dei, quoniam inuenta es humillima inter omnes filias Hierusalem, & placuisti oculis eius virgo decora valde, nec fuit tui similis in omni terra. En iterum flecto me ante scabellum vestigiorum tuorum, deuotis labijs & mundo corde, officiosissimè & salutare & collaudare desiderans. Sed scio electa mater, quia dignus non sum leuare impuros oculos meos, quos sæpius inquinasti, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, in serenissimam faciem tuam diuino lumine radiantem, omnique cælesti militiæ admirandam: quæ labijs candidissimis, & rubentibus rosis, aureisque flosculis, ex omni parte decentissimè adornata es. Ideoque confundor ab impuritate mea, tristè pen-